



## **Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales**

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Venerabili Eucharistiæ Sacramento Decisiones Theologico-Legales

**Chiericato, Giovanni Maria**

**Augustæ Vindelicorum, 1730**

Decisionis XXXVIII. Ad Augusti primum Casum. Argumentum. Ostenditur obligatio Parochi, ut faciat ardere jugiter lampadem coram Sanctissima Eucharistia. Lampadum varia symbola explicantur apud ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94643](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94643)

## DECISIONIS XXXVIII.

Ad Augusti primum Casum,

## ARGUMENTUM.

Ostenditur obligatio Parochi, ut faciat ardere jugiter lampadem coram Sanctissima EUCHARISTIA. Lampadum varia symbola explicantur apud Hebræos, apud Gentiles, & apud Christianos. Discutitur, ad quem de Jure spectet, manutenere lampadem ardentem in Ecclesia? Qua poena sit plectendus Parochus negligens circa lampadem? Refertur ex S. Petro Damiano tremenda puniatio.

## SUMMARIUM.

- 1 Lampadarum Ecclesia varia nomina.
- 2 Lampades in magna veneratione semper fuere.
- 3 Hebraei faciunt festum candelarum per dies octo.
- 4 Mulieribus Hebrais tria praecepta dantur à Rabbini.
- 5 Sponsa Hebraea habebat secum aliquas virgines eam comitantes cum lampadibus, honestatis causa.
- 6 Gentiles venerabantur usum Lampadarum.
- 7 Legatum olei pro lucernis Ecclesia, vel mortuorum, dicitur pium.
- 8 Lucerna inextinguibiles ponebantur ab antiquis in sepulchris.
- 9 Lucernarum ardentium in monumentis reperiuntur exempla.
- 10 Christiani usque ab initio Ecclesia utebantur lampadibus, & cereis pro divino cultu, Deiparae, ac Sanctorum.
- 11 Miracula ex oleo lampadarum Ecclesia.
- 12 Lampades sola aqua plene ardentes.
- 13 Oleum emere pro lampade Ecclesia spectat de Jure ad Parochum, nisi consuetudo sit in contrarium.
- 14 Oleum pro lampade Ecclesia emendum est à Parocho vel pro medietate, vel pro tertia parte juxta arbitrium Episcopi.
- 15 Parochus negligens circa lampadem accensam coram SS. Sacramento peccat mortaliter, & est ab Episcopo multandus.
- 16 Missa non est celebranda absque lumine, neque pro communicando per Viaticum.
- 17 Culpa ubi est, ibi poena esse debet.
- 18 Poena omnis in jure est iudici arbitraria.
- 19 Poena ex Constit. Synod. Patavinis contra Parochum negligentem circa lampadem accensam coram SS. Sacramento.
- 20 Exemplum punitionis Divinae ob praedictum factum lampadibus ad Altare S. Petri Romae collucentibus.
- 21 Aditui, qui usurpant sibi oleum lampadarum Ecclesia, committunt peccatum Sacrilegii, & contrahunt minorem excommunicationem.
- 22 Sacrilegium dicitur quasi Sacri ledium.

## PRIMUS CASUS.

Parochus curam lampadis, collucentis coram Eucharistia, relinquit Aditui; qui tum ex ne-

gligentia, tum ex malicia eam extinguit, ut plurimum, finit. Quaritur, an Parochus sit reus culpa? alicujusve poena. Et quale peccatum committat Adituius.

**P**raemittendum Primò: diversis nominibus vocatas esse lampades Ecclesiasticas ab antiquis; alii enim eas appellabant *Butrones*, à græca dictione *Βύτρον*, idest scyphus, vel vas concavum. Macer in Hierol. d. Burro. Unde Anastas. Bibliothecar. in Leone III. ait: *In venerabili Monasterio S. Saba fecit Butronem argenteum*, & in Leone IV. *Obrulit in Basilica Sancti Petri Butronem de argento purissimo*. Quorum Butronum formas duas ponit ibi Macer desumptas ex veteri pictura, quæ Romæ in porticu S. Petri olim extabat, una quarum est cum tribus aliis pensilibus Butronibus, altera verò cum unico Butrone, non injucundas visu. Alii autem vocabant ipsas lampades *Cicendelas*, & ita legitur apud Fulbertum Carnotensem (qui floruit anno 1000. ab Incarnatione Domini) Epist. 68. *inter organa Vasum, & arduentes Cicendelas*. Et apud S. Gregorium Turonensem lib. 4. *Histor. cap. 31. Avis quadam in Sacrarium sub velo transisse dicitur, Cicendelam extinguere voluisse, nisi ab ostiariis prohibita fuisset*. Quod refert Jo. Mabillon in *Liturgia Gallicana lib. 1. cap. 8. num. 12*. Alii pariter vocabant lampadem *Enosotium*, ex græca dictione *ἑνός φωτός*, id est unius luminis; juxta illud ejusdem Anastas. in Benedicto III. *Obrulit canistra Enosotia ex argento purissimo*. Alii nominabant lampades *Exasotia*, id est habentes sex lumina; ex græcis dictionibus *ἑξ* idest sex & *φωτός*, idest lumina, seu splendores; Alii tandem *Enneasotia*, id est ferentes novem lumina ab *ἑννέα* id est novem luminum; ut explicat Macer in *Hierolex. Dist. Enosotius; & Exasotia*. Hebraice verò lampades dicuntur *חור* *Heror*, à litteris *ה* *Her*, quæ quidem litteræ sunt numericae facientes summam 250. quæ duplicata facit 500. & tanta dicunt Rabbini esse membra Mariti, & Uxoribus; denotata per lampadem accensam juxta illud Prov. 20. 27. *Lucerna Domini spiraculum hominis, quæ investigat omnia secreta ventris*. Ita notat Jul. Maurocenus Neophytus in suo opere part. 2. cap. 66.

Præmittendum secundò Lampades semper fuisse in magna veneratione tum apud Hebræos tum apud Gentiles, ac postea apud Christianos. De veneratione apud Hebræos constat ex præcepto illis injuncto in Exodo, ubi cum dictum fuerit *Exod. 25. vers. 3. Facies & candelabrum ductile de auro mundissimo; subjungitur vers. 37. Facies & lucernas septem, & pones eas super candelabrum, & luceant ex adverso*. Et paulò post in eodem libro Exodi cap. 27. vers. 20. & 21. *Præcipe filiis Israel, ut afferant tibi oleum de arboribus olivarum purissimum piloquæ contusum, ut ardeat Lucerna semper in Tabernaculo testimonii*. Cumque plura post sæcula ab Antiocho fuisset profanatum Templum, illudque restauratum, & purgatum à Juda Machabæo, Sacerdotes in ipso Sacrificia obrulerunt, & Incensum, & Lucernas, & panes propositionis posuerunt: ut legitur 2. Machab. 10. 4. decernentes, ut singulis annis die 25. Mensis *Casten* (qui est noster December) omnes Judæi per dies octo celebrarent memoriam hujusmodi dedicationis, & restorationis.

Hinc processit festivitas candelarum, quam Judæi vocant, *חנוכה* *Chanucha*; in qua singulis vesperis

spers per dies octo, in ostio domus ad intra accendunt octo lampades, seu candelas, quas sacras vocitant, itaut neque ad earum lucem aliquid facere; vel earum oleo, aut ellychniis quis uti valeat sub mortali culpa; ut latè ostendit cit. Jul. Maurocenus *dict. part. 2. cap. 47.* qui etiam *d. cap. 66.* advertit mulieribus Judæorum tria præcepta esse injuncta per Rabbinos, unum **נרה** *Ghera*. Alterum **חלה** *Chala*, & Tertium **הדלקת חנר** *Hadla Kat Hanner*. Per primum, ut ipsæ mulieres, cum sunt menstruæ, abstineant à copula cum viro; per secundum, ut quandocunque panem faciunt, partem massæ reservent pro Sacerdotibus; & per tertium, feriis sextis in Vespere, adveniente Sabbato accendant lucernas saltem duas in honorem diei sacri. Sed consuevisse Hebræos lampades accendere ad agendam festivitatem; desumitur etiam, ex *Persio Satyra quinta*, dum agit de natali Regis Herodis, quem Judæi colebant, dicens:

At cum

*Herodis venere dies, undæque fenestra  
Disposita pinguem nebulam vomuere lucernæ  
Portantes violas.*

Et confirmat Joseph. *lib. 18. Antiquit. cap. 6.* dum asserit, ad Stolum Pontificiam, in Turri Antoniana quotidie solitum accendi lucernam. Hoc ipsum corroborat Parabola Evangelica de decem Virginitibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obviam *Sponso, & Sponsa. Matth. 25. 1.* Mos enim erat apud Hebræos, honestatis causa, assignare Sponsæ diversas puellas Virgines, quæ illam comitarentur, dum veniret Sponsus, à quibus lampades accensæ deferebantur, ut notat Menoch. in *Vita Christi tom. 2. lib. 6. cap. 13.*

Gentiles etiam veneratos esse Lampadarum usum, testantur antiqui scriptores: nam Plutarchus in *Vita Luculli* ait, pro Stemmate Dianæ fuisse lampadem; & in *Vita Numæ*, Vestalibus assignatas lampades ardentes, quia ex sterilitate ignis earum Virginitas denotabatur; & in libro de *Oraculorum defectione*, notat in Templo Jovis à Sacerdotibus custoditas accensas lampades; quorum originem inventam ab Ægyptiis scribit Polidor. *Virg. lib. 2. c. 19.* & Paulianus in *rebus Atticis* scribit, Athenis fuisse donatam Minervam aurea lampade tantæ magnitudinis, ut semel tantum in anno infunderetur in ea oleum, ad jugiter arandum. De hoc etiam usu cecinit *Juvenal. Satyr. 12.*

Et matutinis operantur festa lucernis.

Et illud referunt Herodot. in *Heuterp. lib. 2.* Suidas in *Verb. Lampados*. Immo SS. Patres. Hieron. in *Vigilant.* & S. August. *lib. 21. c. 6. de Civit. Dei*. Ut meminit Emin. Card. Baron. *ann. 58.* Et novissimè *Illustrissim. Pompeus Sarnelli Episc. Vigiliarum* in eruditissimis suis Litteris Ecclesiasticis *Epist. 20.* Hinc valere donationem olei factam uxori à marito, consummendi in æde sacra, respondit Vulp. in *l. Si sponsus 5. §. Proinde ff. de Donat. inter virum, & uxorem*. Immo inter pia legata illud extabat, quod accenderetur frequenter lucernæ in monumentis Testatorum, ut habetur in *l. Marcia 44. ff. de Manumiss. Testam.* Ex qua gentilium superstitiosa devotio, & frequenti lampadarum accensione apud cadavera Defuncti processit nunc deperdita, qua pollebant antiqui, formandi lucernas inextinguibiles, ponendas in sepulchris, ut plurima testantur Historiarum exempla; nam Tempore Pauli Papæ Tertii reperta est Lucerna

na ardens apud Romam in sepulchro Tulliolæ filia Ciceronis. Panciroli, in *lib. de rebus memorab.* quæ accensa manserat annis MDL. Confimilis fuit inventa in hac Diocesi Patavina penes Attestinum Castrum, in sepultura cujusdam nomine *Elibii*, sepulti ante annos MD. teste Scardeonio Historico, & Canonico Patavino *lib. 1. class. 3. cap. ult.* Alteram ardentem in antiqua sepultura penes Neapolim visam fuisse refert Jo. Baptista Porta in *Magia Natur. lib. 12. cap. ult.* Et aliarum plurium exempla recitat Fortunius Licetus Philosophus primæ sedis in hoc Lycæo Patavino, (quem frequenter in juvenili ætate ego audiebam) in erudito Opere *De reconditis antiq. Lucernis*; ubi luculenter examinat, qua ratione lampades illæ essent inextinguibiles, & idem legi potest apud Aresium Episcop. Torton. *lib. 5. Imp. 133. in Digressione c. 1. & seqq.* ad quos curiosus recurrit.

Christiana autem Religio etiam in suis incunabulis Lampadarum, & Cereorum ardentium usum in Templis, Religionis intuitu erga Deum, recepit; ad quem effectum Acolythorum ordinem recognovit, ut testantur SS. Patres Cyrill. Epiphani. Anastas. Hieronym. Augustin. & alii congesti per Casalium de *Veter. Sac. Christ. Ritib. c. 42.* ubi notat, Constantinum Imperatorem, inter cætera dona oblata Reliquiis SS. Petri, & Pauli, ac Laurentii, ac etiam Ecclesiæ S. Crucis, dedisse candelabra; & lampades magni pretii, quæ ardere perpetuo debebant ex balsamo, & aliis pretiosis oleis; quod legitur etiam in *tom. 1. Concil. in libello de Magnificen. Constantinii in Sylvestrum*, & in *Annal. Card. Baronii ann. 57.* ubi *Spond. n. 36.* & de his cecinit S. Paulin. *Episc. Nolan. in Natali 3.*

*Clara coronantur densis Altaria lychnis,  
Nocte, dieque micant.*

Et alibi *Natal. 9.*

*Totoque supernè*

*Pendentes lychni spiris retinentur abenis,*

*Et medio in vacuo laxis vaga lumina nutant  
Fimbriis.*

Et sicut ob cultum latriæ cæpit Ecclesia ab initio accendere lucernas, & Cereos in Templis, ita hîdem usæ est; Spiritu Sancto edocta in cultum Hyperdulæ erga Deiparam, ac etiam Dulæ erga alios Sanctos, in quibus honoratur Christus, ut scribit Divus Hieronym. *lib. 1. Epist. 2.* ibi: *Non offendat quempiam, quod ante Sanctorum Imagines lucernaria suavelentia thymiamata, accendantur, quoniam honor ad Christum recurrit.* Quod etiam testantur D. Epiphani. *Epist. ad Joan. Episc. & Beda de locis Sanctis cap. 7.*

Porro multis, iisque perennibus miraculis sibi gratum fore Lampadarum, & Cereorum ardentium in Templis usum Divina Majestas demonstravit, de quibus in morbis pellendis, demonibus abigendis, ac mortuis resuscitandis S. Aug. *lib. 22. de Civit. Dei cap. 8.* & ex aliis SS. Patribus, & Scriptoriis Ecclesiasticis Card. Baron. & Spondan. *ad annos 58. 326. 371. & 412.* Unum hic liceat referre verbis S. Gregorii Papæ *lib. 1. Dialogor. c. 5.* De Constantio Mansionario Ecclesiæ S. Stephani propè Urbem Anconitanam. Quadam die, dum in eadem Ecclesia oleum deesset, & prædictus Dei famulus, undè Lampades accenderet, omnino non haberet, omnes Lampades Ecclesiæ implevit aqua, atque ex more in medio papyrum posuit; quas allato igne succendit; sicque aqua arsit in Lampadibus, ac si oleum fuisset. Plurima, qui cupit, legat P. Bagattam in *Admirand. Orb. Christ. tom. 2. lib. 5. cap. 2. §. 12. & §. 13.*

Præmit-

- Præmittendum tertio : Etsi de Jure spectet ad Parochum emere oleum, ut Lampas semper accensa maneat, & ardeat coram Sanctissima Eucharistia per cap. Sanè. De Celebrat. Missar. ubi DD. & notant Genuen. in Praxi cap. 109. n. 13. Belletus de Clerico debitore §. 14. num. 5. & Sperellus decis. 68. num. 16. Id tamen est intelligendum, nisi aliud consuetudo obtinuerit. Innoc. in cap. fin. De his, quæ sunt à major. part. cap. Ripa de Consuet. resp. 2. & Surd. Conf. 62. num. 2. Ideo ubi fabrica habet sufficientes redditus, vel Confraternitas Sanctissimi Sacramenti; & solent earum sumptibus manuteneat Lampadem accensam; Parochi non sunt inquietandi; ubi vero deficiunt redditus fabricæ, & Societatis prædictæ, pendet ab arbitrio Episcopi decernere, quam portionem debeat Parochus contribuere pro Lampade; itaut aliquando ad medietatem expensarum; aliquando, ad tertiam tantum partem ipse Sperellus obligaverit eosdem Parochos, habito respectu ad vires ipsius beneficii, & bona populorum, ut notat in cit. decis. 68. num. 13. & Genuensi ac Bellet. locis citatis, & Barbosa de Parocho cap. 20. n. 30.
- His præmissis, respondendo ad propositum casum, dicendum est; Parochum illum esse reum culpæ mortalis, & multandum esse pœna aliqua, saltem pecuniaria, arbitrio Episcopi. Peccat mortaliter, quia cura, & obligatio, ut Lampas semper colluceat coram SS. Sacramento, demandata est ab Ecclesia, non vili ædituo, sed ipsi Parocho, tum in cit. cap. Sanè. De celebrat. Missar. tum in Rituali Rom. De Sacram. Euch. in Rubr. §. 2. ibi : Parochus igitur summum studium in eo ponat, ut tum ipse hoc Venerabile Sacramentum, quæ decet reverentia, debitoque cultu tractet; custodiat, & administret; tum etiam populus sibi commissus religiose colat. Et paulò infra §. 6; Lampades coram eo plures, vel saltem una, die noctuque perpetuò colluceat, curabitque Parochus, ut omnia ad ipsius Sacramenti cultum ordinata, integra, mundaque sint, & conserventur. Igitur, cum negligat hanc curam, & ex hac negligentia resultet gravis irreverentia erga Divinum Sacramentum, ipsumque defraudetur debito cultu; sequitur Parochum committere peccatum mortale.
- Confirmatur ex eo, quia secundum communem Theologorum sententiam, non est licitum celebrare absque lumine, quamvis necesse esset consecrare ad dandum Viaticum moribundo; & si lumen deficeret, incepta Missa ante consecrationem, non esset proseguendum; quia magna fieret irreverentia Sacramento, si consecraretur absque lumine. Ergo etiam in conservatione ejusdem per diem, aut noctem integram absque lumine, offenditur graviter cultus Divinus, consuetudo Ecclesiæ, ac lex Canonica imposita in cit. cap. Sanè. & in Rituali Romano; & sic contrahitur culpa mortalis; ut in puncto tenent Quintanadven. in Singularib. tra. 4. singular. 1. Volpi in Moral. resol. 62. n. 28. & Diana par. 9. tract. 6. resol. 33. Quæ transivit in operis Coordinati tom. 2. tract. 1. resol. 154. cui adstipulantur Gobat in Experim. Theol. tract. 4. n. 373. Bissus in Hierurg. Sacra Verb. Lampades num. 25. & in Verb. Particula num. 45. §. 6. Cafalich. in Tutâ conscientia lib. 2. cap. 19. num. 1. Summa Diana Verb. Eucharistia num. 4. Naldus Verb. Parochus num. 16. & Bordonus Var. Resol. part. 1. resol. 20. n. 30.
- Et quoniam ubi culpa est, ibi pœna esse debet.

cap. Romana, in fine de Sent. Excomm. in 6. l. Sancimus. C. de Pœnis. idcirco non potest esse immunis à pœna Parochus prædictus. Quæ autem, & quanta esse debeat pœna, quæ multandus erit, cum in jure omnis pœna sit Judici arbitraria. Farinac. in Praxi Crim. quest. 5. num. 8. poterit Episcopus arbitrari secundum majorem, vel minorem negligentiam. In Vist. Pastoralis Josephi Crispini p. 2. §. 2. num. 14. statuta legitur pœna duorum aureorum. At Constitutiones Synodales Patavinæ p. 2. cap. 15. Vers. Quod Sacramentum, ita disponunt: Ante ipsum (Sacramentum Eucharisticum) Lampas accensa semper colluceat. Qui omiserit, prima vice unius aurei pœna mulctetur; secunda binis; tertia quatuor: Si ulterius, gravioribus pœnis.

Tandem, ut omnes Parochi, & Ecclesiarum Rectores solliciti sint in cultu Divino, ex ardentibus Lampadibus resultante, non me piget huc transcribere, quod legitur scriptum à S. Petro Damiano lib. 1. Epist. 20. Quod mihi à Senioribus intimatum est, refero. In Babylonia partibus possessionem Apostolica Sedes habebat, unde tantum balsami redditum per annos singulos capiebat, quod indeficienti fomite sufficeret Lampadi, quæ videlicet ante Altare Beati Apostolorum Principis rutilabat appensa; quam possessionem accepta pecunia Papa distraxit; Canonemque aromatis, quem recipere solebat, amisit. Aliquanto post, cum idem Papa prædicto Sacrosancto Altari quasi devotus assisteret, & oraret; ecce quidam terribilis, & grandævus senex, in cuius etiam facie barbarasum videbatur, elato brachio colaphum sibi vehementer incussit, & ait: Tu extinxisi Lucernam meam ante me, & ego extinguam Lucernam tuam ante Deum; moxque disparuit, ille vero protinus corruit, & paulò post diem clausit extremum. Si talem vindictam lumpsit pro Lampadarum deterioratione Vicarius Christi; qualem summet ipse Christus pro earum totali extinctione?

Ædituus autem, qui ex malitia, idest ut sibi oleum usurperet, relinquit inaccensam Lampadem longo tempore, peccabit mortaliter non solum peccato irreverentiæ in Deum, sed peccato Sacrilegii ob olei usurpationem; est enim Sacrilegium violatio rei sacræ, seu cultui divino destinatæ. S. Thom. 2. 2. q. 99. art. 1. unde dicitur Sacrilegium, quasi Sacrilegium, quia lædit Sacrum. Martius in Theol. Moral. disp. 11. n. 33. & 36. ubi notat, contrahere minorem excommunicationem, à qua non erit absolvendus, nisi facta restitutione Olei malè consumpti.

## DECISIONIS XXXIX.

Ad Augusti secundum Casum,

## ARGUMENTUM.

Quod proponitur, est: An moriente Sacerdote ad Altare post consecratas species; pro quibus recondendis non est locus, neque alius Sacerdos haberi potest, qui Sacrificium compleat, & illas assumat; an, inquam, Laicus devotus, & jejunos licitè possit utrasque species consecratas propriis manibus sumere, & deglutire?

SUM.